

CXI

Q. D. B. V.

MENTIS CARTESIANÆ
CONSIDERATIO,

Quam

SUB PRÆSIDIO

CHRISTIANI DONATI,
Log. & Met. Prof. P. Ord. Philos. h. t.
Decani,

Publicæ ventilationi
submittit

M. JOHANNES MOESCKE,
Gedanensis.

*Ad Diem XVI. August. M DC XCIII.
Horis antemerid. In Majori Auditorio.*

WITENBERGÆ,
PRÆLO CHRISTIANI SCHRÖDTERI, Acad. Typ.

72.

a. XXVII. 34.

Coll. diss. A
27, 34

111

100

MENTIS CARTESIANAE
CONSIDERATIO

Quam

Sub Praesidio

CHRISTIANI DONATI
Log. & Metaph. Ord. Philoſoph.



Publice recitata

in

M. JOHANNES MOESCKE

Ordinarius

Ad Diem XVIII. Junij. MDCXCIII.

in

WITTEBERGAE

PRÆLO CHRISTIANI SCHNODT ERUDITUS

11



Cum Deo!

§. 1.



Agnum hodie in orbe erudito nomen Philosophiæ Cartesianæ est. Cui quantum quidem in cæteris tribuendum sit partibus, aliorum examini, atque iudicio merito relinquo. Saltem vero, quid de illius Metaphysica, quæ ipsi vocatur, polliceri sibi artis istius cultores habeant, unius, ac præcipui quidem ejus dogmatis exemplo, in præsentia ostendam.

§. 2. Notum videlicet est, quomodo Renatus des Cartes, postquam secundum decantatam suam dubitationem, novæ Philosophiæ inveniendæ, & ab uno principio ordine deducendæ gratia, *nihil plane esse in mundo, nullum Deum, nullum cælum, nullam terram, nullam mentem, nulla corpora, seque ipsum nec manus habere, nec pedes, nec oculos, nec carnem, nec sanguinem, non aliquem sensum, nec denique ullum corpus, sed hæc omnia sese habere falso opinari*, supposuisset, Medit. I. p. 8. Med. II. p. 9. P. I. Princip. §. 7. p. 2. dum tamen intra sese sentiret, se de his ipsis, aliisque rebus nihilominus cogitare, concluderet primum omnium, *sese*, tanquam distinctum quid à corpore, veluti quod negarit, & *esse*, seu existere (cum nihil cogitare possit, quod non sit,) & nihil aliud, vel amplius, quam *rem cogitantem*, Medit. II. p. 9. 10. Med. III. p. 15. atque adeo ad

A

patu-

naturam sui, seu mentis (velut quæ, post corpus negatum, sola superfit) solam cogitationem pertinere, Medit. III. p. 14. P. I. Princip. §. 8. p. 2. sic ut anima natura sit cogitare, P. I. Epistolar. epist. 103. p. 338. Et cogitatio constituat mentis essentiam, P. I. Princip. §. 53. p. 14. Indeque jam Mens ipsi idem est, atque substantia cogitans §. 52. l. jam c. non solum creata, quæ anima humana est, sed & increata, quæ Deus, §. 54.

§. 3. *Quem proinde & ejus asseclæ secuti, idem prorsus docent. Hi enim, uti Deum, angelum, atque animam res cogitantes passim vocant: ita Mentem in genere (quo potius nomine vocant spiritum) alias per rem, alias per substantiam cogitantem (rem atque substantiam pro eodem habentes) definiunt. Mens omnino, ait Christoph. Wittichius, sive sit humana, sive angelica, sive divina, est res cogitans, Theol. Pacif. §. 122. Et Antonius le Grand, Mens, inquit, est substantia cogitans, sive res, cui immediate inest cogitatio, Log. art. 16. n. 5. p. 23. Nec non Petrus Poiret, Mens, ait, dicitur res cogitans, vel substantia, quæ cogitat, L. II. Cogitat Rational. de Deo, Anima, & Malo, c. 3. §. 1. p. 77. Ejusque adeo rationem in ipsa cogitatione ponunt. Idem quippe Poiret c. 1. l. d. §. 3. p. 71. Mentis utriusque, inquit, increate, & create, notio magis generalis & evidens dari non potest, quam si tanquam Cogitatio utraq; concipiatur. Quin imo, non tantum Mentis in genere, sed & speciatim animæ, atque angeli, ipsiusque etiam Dei, totam essentiam ac naturam in sola, ac mera cogitatione sitam esse affirmant. Ita enim de Mente in genere Wittichius scribit §. 118. Quomodo vero, ait, potest extendi id, cujus tota natura consistit in cogitatione? Et §. 122. Res cogitans est, cujus tota natura consistit in cogitatione. De anima vero humana idem §. 119. Non tantum sectatores,*

res, inquit, Cartesii, sed ipsemet quoque omnem naturam, & essentiam anime in mera cogitatione collocavit, & qui hoc non fecerit, nunquam distinctos de mente, & corpore formabit conceptus. Ipseque Poiret L. II. c. I. §. 3. p. 72. Cogitatio igitur, ait, est mei, sive mentis meae, sive ejus, quod in me est prater corpus, essentia & natura. Atque mox: In hoc uno, dicit, consistere essentiam mentis creatae, ut cogitet: sive illam esse, uno verbo, cogitationem: quod unum si ei dederit ejus auctor, de cetero nil illa opus habet ad hoc, ut sit, quod est. Nec non L. III. c. 3. §. 1. p. 178. Cogitatio, inquit, ita in me est, ut prater illam nihil sit, quod ad mei, qualem jam me considero, essentiam naturamque pertineat, ita ut in illa sola tota mea natura includatur, exclusis omnibus ceteris. Completa hac notio rei, sive naturae cujusdam, quae cogitatione absolvitur, spiritualitas proprie dicenda est, ob quam assero, mentem meam spiritum esse. Et de Angelo rursus Wittichius §. 177. Hac vero, inquires, nihil differunt, Angeli totam naturam in cogitatione consistere, & esse rem cogitantem. Denique de Deo glorioso praecipue Poiret, L. II. c. 5. §. 1. p. 116. Omnia, quae in Deo sunt, dicit, cogitationem esse, Deumque id ipsum esse, cogitationem nempe, sive perceptionem. Et L. III. c. 3. §. 3. p. 178. In Deo, ait, cum ad illum ex hac occasione attendo, ita etiam cogitationem esse animadverto, ut tota ejus natura in illa sola consistat, exclusis omnibus ceteris, quae prater cogitationem possunt concipi. Pauloque post §. 4. Ex hisce, inquit, facile est concipere, quid sit Dei spiritualitas, nimirum quod non tantum cogitet Deus, sed quod omnia, quae in ejus natura sunt, cogitatio mera sint. Sic Deus est spiritus.

§. 4. Ubi vero si nunc requiras, quid per dictam Cogitationem sit intelligendum, non idem ab omnibus responsum feres. Nam Cartesius quidem Cogitationis no-

mine intelligit illa omnia, qua nobis consciis in nobis fiunt, quatenus eorum in nobis conscientia est. L. I. Princip. §. 9. p. 2. Juxtaque hujus ductum Antonius le Grand, illa omnia, qua in nobis esse experimur, & quorum sumus consci, P. I. Instit. art. 3. n. 1. p. 13. Veluti nempe sunt, ex. gr. sentire, imaginari, intelligere, affirmare, negare, dubitare, velle, nolle, exponente ipso Cartesio, Medit. II, p. II. Medit. III. pag. 15. P. I. princip. §. 9. p. 2. & §. 53. p. 14. & Antonio le Grand l. jam c. & art. 6. n. 5. & 6. p. 23. & seq.

§. 5. Sed cujus sui dogmatis postea oblitus Antonius le Grand P. IX. art. 1. n. 4. p. 542. Nomine Cogitationis, ait, intelligitur sensus ille interior, & conscientia, per quam certissimus eorum omnium, qua agimus, aut patimur: adeo ut dicere, mentem humanam esse substantiam cogitantem, nihil aliud sit dicere, quam quod in ipsa sit conscientia omnium cogitationum, voluntatum, appetituum, sensationum, qua in illa reperiuntur, sive illamet eorum sit principium, sive ab aliis patiatur. Quem forsan secutus Poiret, idem passim inculcat. Cui nempe Cogitatio est perceptio intima eorum, qua in mente sunt, L. II. c. 2. §. 2. p. 75. atque conscientia, §. 3. p. 76. & perceptio immediata rerum, qua sunt in nobis, c. 3. §. 6. p. 80. Speciatim sensus doloris, voluptatis, gaudii, tristitiae, amoris, aversionis, colorum, sonorum, saporum, atque similes, ibid. & (sicuti in notis ad hunc §. addit) conscientia sui sentientis, vel percipientis, viva, & actualis, potensque ad se variandum infinitis modis, vel ad variationem illam recipiendam, p. 81. nec non, habere sui, aliarumque rerum sensum, sive conscientiam, & perceptionem, ibid.

§. 6. Quamquam nec hic sibi satis in eo constet. Quippe cui alias Cogitatio est principium vividum, sentiens, sive percipiens, ac potens infinita infinitis modis percipere,

cipere, & se circa illa determinare, ib. nec non res, si verae
litas quadam actuum, qui ab illa (nescio, num re, an cogi-
tatione) procedunt, vel in illa sunt, conscia, dum in illa sunt,
à qua etiam infinita diversitatis & multitudinis actus pro-
fluunt, & profluere possunt, & in qua infiniti percipiendi
modi fieri & sentiri possunt, ad cap. 2. §. 3. p. 76. item, con-
ceptus subiecti, cui insunt modi, seu accidentia mentis, ut ju-
dicare, negare, tristari, sperare, metuere, ratiocinari de qui-
busvis, c. 3. §. 2. p. 78. vel (paulo forsan clarius hæc reddendo)
principium, id omne, quod in nobis est, aut fit, perci-
piens, seu sentiens, ejusdemque conscium; seu, quod eo-
dem recidit, ipsa vis percipiendi, seu sentiendi id, quod in
nobis est, aut fit.

§. 7. Cui posteriori imprimis acceptioni Poiret in-
sistendo, notat qualiscunque declarationis gratia: intelligi
adeo hoc loco Cogitationem, non actualem, & particula-
rem, p. 82. quæ ad certam aliquod objectum certo, actuali,
& particulari modo, seu ad certum modum cogitandi parti-
cularem est determinata, p. 81. 84. quæq; multiplex, ac inter-
rupta est, c. 2. §. 2. p. 78. atque vulgo actio dicitur, §. 3. sed
fundamentalem, ib., quæ ad nullum certum objectum, aut
modum cogitandi particularem est determinata, quæq; una
quidem, sed diversis tamen modis variata est, atque una
fixa manet, sed diversitate tamen objectorum, & applica-
tione sui ad ea subinde est mutabilis, §. 2. p. 75. nec tam actio,
quam tum principium agens, tum subiectum passiones ad-
mittens est, §. 3.

§. 8. Quorsum, nescio, annon referri possit, quod
Wittichius dicit: Cogitationem banc, non nudam potenti-
am cogitandi esse, sed actualem cogitationem, §. 121. & quod
rursum Poiret, non esse potentiam otiosam, actu destitutam,
p. 81 sed talem facultatem cogitandi, quæ ipsa cogitatio est,

quatenus ad varia objecta, & variis modis potest applicari,
c. 3. §. 5. p. 80.

§. 9. Putatq; iste, ad illam quasi distinctionem, quam §. 6. ex ipso attuli, respiciens, dici cum ratione posse: *Cogitationem cogitare, per id intelligendo, perceptionem, quæ ex natura sua non est determinata ad certa objecta, sese ad illa determinare, adeoque singulares perceptiones producere; nec non Cogitationem esse in cogitatione, hoc est, cogitationem quamlibet particularem non alia de causa in nobis esse, quam quia una in nobis est perceptio, in qua omnes subsistunt.* c. 3. §. 4. p. 79.

§. 10. Atque hæc est ipsius Cartesii, ejusque sequacum de Mente, Cogitationeq; istius doctrina; tam profecto maximam partem obscure concepta, ut si seorsim eam suis in locis carptim legas propositam, vix satis, quid eadem sibi velit, intelligas.

§. 11. Quam igitur ut mihi nunc paucis discutendam sumam: primum nemini non rem mali visum iri opinor indicii, quod Poiret in definienda Cogitatione, neque cum Cartesio, nec secum ipso adeo consentiat. Quippe cum aliud multo esse intelligatur id, quod in nobis fieri aut esse sentitur, seu percipitur; aliud, ipsa rei, quæ in nobis est, aut fit, perceptio, seu sensus; aliud, vis percipiendi, seu sentiendi id, quod in nobis fit, aut existit: quæ certe tria nomine Cogitationis (primum juxta Cartesium, cætera juxta Poiret) significata, non saltem ratione, aut conceptu, quin re ipsa, inter se distincta sunt.

§. 12. Tum vero ab uterque horum auctorum, ista sua termini Cogitationis acceptione, ab usu loquendi recepto. Est enim Cogitatio usitate alias saltem istiusmodi mentis seu intellectus actus, quo ea rem, seu adhuc cognoscendam, seu jam tum cognitam, aut nude apprehendit,

dit, sibiq; repræsentat, aut esse, vel non esse judicat, aut, ad
rectum de ea formandum judicium, adhuc altius perpen-
dit. Et quanquam proinde Cogitatio ipsum imaginari,
ceu actum apprehensivum, nec non affirmare, negare,
& ratiocinari, tanquam actus judicativos, & dubitare, tan-
quam aliquid judicio analogum, ambitu suo comprehen-
dat: differt tamen à velle & nolle, tanquam actus intelle-
ctus, ab actu voluntatis; ab intelligere, tanquam actus in-
tellectus ministerialis, à principali; à sentire, ipsoq; adeo
sensu doloris, voluptatis, gaudii, tristitiæ, amoris, aver-
sionis, colorum, sonorum, saporum, tanquam actus in-
tellectus apprehensivus, ac judicativus, à mere perceptivo,
actum apprehensivum, ac judicativum, vel jam supponen-
te, vel secum demum trahente; à perceptione, seu sensu
ejus, quod in nobis fit, aut existit, tanquam actus rei, seu in
nobis, seu extra nos existentis, apprehensivus, aut judica-
tivus, ab actu rei perceptivo, seu cognoscitivo; denique
à vi percipiendi, seu sentiendi id, quod vel in nobis, vel
extra nos est, aut fit, tanquam actus secundus, ab actu pri-
mo, diversi ab illo generis actum secundum gignente.
A quibus nisi cogitare, atque Cogitatio differret; profecto
idem esse oporteret, cogitata velle, & cogitata cogitare;
alterius infortunium nolle, & alterius infortunium cogi-
tare; indoctum pauca intelligere, & indoctum pauca co-
gitare; sentire intra se dolorem, & de dolore saltem cogi-
tare; multa mala in mundo videre, & multa mala in mun-
do cogitare; percipere, seu sentire suam animi cogitatio-
nem, & cogitare suam animi cogitationem; pollere vi per-
cipiendi, seu posse percipere internam animi tristitiam,
& cogitare internam animi tristitiam; quod nemo dictis
recte attendens, opinor, admiserit.

§. 13. Sed quicquid hujus rei sit; erit nihilominus
de eo

de eo jam dispiciendum: utrum Cogitatio, vel in usitata vocis, vel in Cartesianorum aliqua acceptione, ipsam mentis, seu spiritus essentiam, ac naturam ita constituat, ut vel tota ea in illa sola consistat, vel per eandem tamen mens, seu spiritus recte definiatur? id quod nempe utrumque supra Cartesiani affirmabant.

§. 14. Ubi, quod ad Definitionem, eandemque exquisitam, seu accuratam, de qua hic quaestio, attinet; notum est, eam duplicem debere rei definiendae exhibere conceptum essentialem, communem proximum alterum, quo ea cum rebus aliis conveniat, alterum proprium, quo à cæteris differat: & ad hunc essentialem proprium quidem requiri, non solum, ut (juxta dictam denominationem) de essentia rei definiendae sit, atque ei soli competat; sed &, ut tum prior sit cæteris illius propriis conceptibus, à quibus ipse supponatur, tum eorundem prima origo, atque ultima radix, è quo isti dimanent, seu propter illius ad subjectum competentiam & ipsi eidem competant. Diciturque alias conceptus iste essentialis proprius, etiam primo - proprius, nec non primum attributum, ac præcipua proprietas, atque differentia specifica; qui vero inde dimanant, conceptus secundi, & attributa, ac proprietates absolute.

§ 15. Ipsa autem Essentia, & Natura, vel adæquate, ac complete sumitur, pro tota rei substantia, secundum omnia sua prædicata essentialia, accidentibus superadditis contradistincta; vel inadæquate, ac incomplete, pro ipsa rei quidditate, seu conceptu ejus primo, ipsis attributis, seu proprietatibus, tanquam conceptibus secundis, contradistincto, duplicemque conceptum essentialem, communem proximum, atque proprium (juxta dictam exquisitæ definitionis rationem) involvente. Quibus duabus ac-
ceptio-

ceptionibus, satis alias usitatis, refert hoc loco & tertiam, inusitatam quidem, (in gratiam saltem Cartesianorum) addere, quia utraque illa vox saltem pro conceptu rei essentiali proprio capiatur. Hanc enim procul dubio attendit ipse Cartesius in locis §. 2. adductis; quemadmodum P. I. Princip. §. 53. p. 13. haut obscure indicat: *Ex quolibet, inquit, attributo substantia cognoscitur: sed una tamen est cujusque substantie precipua proprietas, quae ipsius naturam essentiamque constituit, & ad quam aliae omnes referuntur. Nempe extensio in longum, latum, & profundum substantie corporeae naturam constituit; & cogitatio constituit naturam substantie cogitantis.* Quod & velle Poiret videri poterat, quando L. II. c. 3. §. 3. p. 79. Conceptui, ait, generali substantiae debet addi conceptus cogitationis ad representationem naturae mentis; & c. 5. §. 5. p. 120. Unde facile, inquit, deducitur, essentiam Dei, atque conceptum, quem de Deo possumus habere quam amplissimum, omnia complectentem, ad quae omnia reducantur, ex quae fluant, sine quo non possit concipi Deus (qui conceptus sane conceptus essentiae est) in una Cogitatione divina, quae à nobis pro modulo nostro concipitur, consistere. Nisi tamen totum, termino essentiae & naturae, ab ipso, caeterisque additum, atque locutiones aliae, §. 2. memoratae, primam potius, aut ad minimum secundam acceptionem indignant forsitan atque inferunt. Ut igitur ne quid alieni Cartesianis facile affingamus, optionem iis dabimus, quam libuerit è dictis acceptionibus suam hinc faciendi.

§. 16. Nos enim dicimus primum, ac statim demonstramus: conceptum Mentis essentialem proprium Cogitationem haut esse in ulla vocis acceptione. Nec enim est in acceptione usitata (§. 12. tradita:) non solum, quia cogitatio in mentibus creatis est aliquod accidens, realiter

B

ab i.

ab ipsarum essentia distinctum; minimeque adeo conceptum mentis creatæ, nedum mentis in genere, essentialem constituit: verum etiam, quia cogitatio, tanquam actus cogitandi secundus, præsupponit in subjecto vim quandam cogitandi, tanquam actum primum, à quo proficiscitur, atque ista porro subjectum cogitans, cui competit; & quemadmodum igitur vis cogitandi ad minimum conceptibiliter posterior est suo subjecto, tanquam ejus proprietas, sic ipsa cogitatio, non tantum subjecto cogitante, sed & ipsa vi cogitatrice posterior est; minimeque adeo ipse primus sui subjecti conceptus: quin imo, quia haut apparet, quomodo cæteræ mentis proprietates ex ipsius cogitatione, tanquam radice, cooriantur, atque prominent. Neque etiam in ulla acceptione Cartesianæ (§. 4. 5. & 6. exhibita;) ex ratione eadem, quam jam ultimo loco dixi. Ac speciatim non in prima: cum, quia multa in nobis dantur, atque fiunt, realiter inter se invicem diversa, quæ sentimus, atque percepimus (memorata ex parte 4. §.) nec tamen datur, nisi unus conceptus mentis essentialis proprius: tum, quia quæ in nobis se exerentia percipimus, ac sentimus, accidentia sunt, realiter à nostra mente diversa; adeoque rursus, ne quidem mentis nostræ humanæ, nedum mentis in genere, conceptum essentialem constituunt: & quia denique sentire, seu sensuum operationes (quas Antonius le Grand art. 3. n. 1. p. 13. cogitationis quoque nomine comprehendit) etiam in brutis dantur; minimeque adeo soli menti competunt. Nec in secunda: cum quia multiplex rursus datur in nobis rerum plurimarum, quæ in nobis fiunt, aut existunt, perceptio: tum quia & ista, tanquam aliquod accidens, realiter à mente nostra differt.

§. 17. Quorum argumentorum vim haut elidet, si quis

quis forsan exceperit cum Poiret ex §. 7. intelligi hoc loco cogitationem, non determinatam, atque particularem, quæ ad certum aliquod objectum sit determinata; sed fundamentalem, seu indeterminatam, & quasi generalem, quæ ad varia objecta determinari & applicari possit. Quandoquidem omnis cogitatio proprie dicta nisi particularis, atque determinata non est, vim cogitandi, de se indeterminatam, à qua proficiscitur, quæque ipse intellectus est, supponens. Quin nec cogitatio illa, quam per vocis abusionem, præterque omnem rem, in prima, atque secunda acceptione appellant Cartesiani, alia, quam particularis, ac determinata est, aliam, aliamque vim agendi, vel patiendi, à qua proficiscitur, sed quæ multo rursus alio, quam cogitationis nomine venit, supponens. Unde adeo intelligi non licet, quænam sit ista cogitatio fundamentalis, ac indeterminata, quam hic intellectam dissentiens velit. Nam etsi ea, quam in ultima acceptione cogitationem vocat, de se indeterminata quidem sit ratione objectorum particularium; tamen, præterquam quod nihil minus, quam cogitatio, sit, vel ideo conceptum mentis essentialem proprium haut constituit, quia cæterarum illius proprietatum radix, atque origo non existit.

§. 18. Unde nunc inferimus porro; idcirco nec Mentem per rem, seu substantiam cogitantem satis recte, ac exquisite definiri. Ut enim ne repetamus, quod sæpius dictum, cogitationis vocem in proposita definitione ab illius auctoribus, non saltem improprie, quin plane abusive, nec id uno modo, accipi: constitit sane, quomodo-
docunque ea vox capiatur, sive in genuino suo, sive in abusivo ullo, è constitutis, significatu, tamen cogitationem conceptum mentis essentialem proprium haut exhibere; quem vero, ultra conceptum essentialem communem,

ad definitionem exquisitam requiri, vidimus 14. §. Accedit, quod non sola mens, seu spiritus substantia cogitans sit: nec enim tantum homo substantia cogitans est, præfertim in significato vocis genuino; sed & ipsum brutum, ad minimum in primo significato abusivo, velut quo etiam sensus & imaginatio, quibus procul dubio & bruta gaudent, cogitationis nomine veniunt.

§. 19. Nihilque moramur, quod Wittichius hic nobis objicit §. 122. *Si ægetur, inquit, hæc definitio mentis, quam dedit Cartesius, quod mens sit substantia cogitans, detur alia, sed clara, quæque attributum primum & positivum mentis exprimat, non in negativis & respectivis tota absolvatur.* Nam si vel maxime nulla alia daretur, explorata nobis, ac inventa, mentis definitio clara, quæque exprimat illius attributum primum: non tamen idcirco Cartesianæ illa statim exquisita foret, ceu vidimus. Sed datur utique istiusmodi alia; illa nempe vulgo alias recepta, qua spiritus substantia immaterialis esse dicitur. Nec enim dubium est, quin immaterialitas primum spiritus attributum sit; cum ex eadem deducere cætera spiritus attributa, deque isto per illam demonstrare sane liceat; uti ex P. Gen. Pneumaticæ notum. Neque vero obstat, quod immaterialitas, ratione vocis, ac termini, attributum negativum sit; sufficit enim, quod interim ratione rei significatæ positivum sit. Neque item, quod *voces negativæ nullas proprietates, nullaque attributa percipienda nobis representant, & potius quid res non sint, quam quid sint, explicant,* objectante hic Antonio leGrand P. III. proleg. n. 3. p. 122. Nam si verum hoc est; sane nec immensitatis vox, tanquam negativa, aliquam Dei proprietatem, nec indivisio Dei unitatem, nec compositionis negatio Dei simplicitatem, nec ortus interitusque negatio

tio

tio Dei aternitatem, nec m' non posse falli, aut fallere Dei veracitatem (contra atque ipse Antonius P. II. art. 8. p. 98. art. 6. n. 2. p. 94. art. 9. n. 3. & seq. p. 101. art. 7. p. 96. art. 3. p. 102. docet) percipiendam nobis repræsentat. Quanquam vero hæ, atque consimiles Dei proprietates, seu ratione nominis, seu ratione formalis sui negativæ, potius quid Deus non sit, quam quid sit, ratione imperfectionis, in creaturis repertæ: explicent; sufficit rursus, quod eadem, quid Deus sit ratione perfectionis, imperfectione negatæ oppositæ, nec nisi sola intelligentia sub termino negativo perceptibilis, satis luculenter declarent.

§ 20. Sed quicquid etiam sit de ista Mentis definitione: certe jam illud dici nullatenus potest, Totam essentiam, seu naturam mentis in sola cogitatione consistere. Vel enim tota mentis (in genere) substantia, vel tota illius quidditas, seu conceptus primus, vel saltem totus eius conceptus essentialis proprius (juxta triplicem termini acceptionem §. 15. constitutam) in sola cogitatione consisteret. At non consistit in ea, tota mentis substantia: cum, quia mens, tanquam substantia cogitans (juxta Cartesianos) in suo conceptu, præter cogitationem, etiam subiectum, tanquam quod cogitat, involvit: tum quia alias mens, vel nullo, præter cogitationem, alio gauderet attributo, seu prædicato, vel quæcunque alias dantur, aut admittuntur mentis prædicata, seu attributa, idem formaliter cum cogitatione forent. Nec totus mentis conceptus primus: tum quia sic mens in suo conceptu primo ne quidem involveret substantiam, adeoque nec substantia cogitans esset: tum quia conceptus primus radix & fundamentum est cæterorum attributorum; dici autem non potest, quænam attributa mentis è cogitatione fluant. Nec denique saltem totus conceptus essentialis proprius:

B 3

non

non solum, quia plane inepta est hæc locutio, qua conceptus essentialis proprius, totus dicitur, cum is non nisi uno semper prædicato absolvatur; verum etiam, quia cogitationem frustra venditari pro conceptu mentis essentiali proprio, §. 15. satis patuit.

§. 21. Multo vero minus, aut ipsius Dei, aut angeli, aut animæ rationalis tota essentia, seu natura in sola, ac mera cogitatione consistere, dici potest. Nam quod ad Deum attinet: rursus aut ipsa Dei tota substantia in sola ac mera cogitatione consisteret, aut tota ejus quidditas, seu primus conceptus, aut saltem conceptus Dei essentialis proprius. Non autem ipsa tota Dei substantia, ac natura: cum, quia Deus, tanquam substantia cogitans (juxta Cartesianos) in suo conceptu, præter cogitationem, quomodocunque acceptam, etiam subjectum, tanquam quod cogitat, adeoque aliquid amplius, ultra cogitationem, id nempe, quod exercet cogitationem, aut eadem gaudet, formaliter ab ipsa distinctum, involvit: tum, quia aut nihil in Deo, præter nudam ac meram cogitationem esset, non essentia, saltem formaliter à cogitatione diversa, non personalitas, non independentia, non simplicitas, non immutabilitas, non æternitas, non immensitas, non omnipotentia, non sanctitas, non justitia, non misericordia, &c. itaque nec Deus infinite perfectus, quin imo multo imperfectior creaturis, tanquam sane multas perfectiones in sua essentia involventibus, esset; aut id omne formaliter ipsa cogitatio esset, ut plane nihil inter cogitationem, atque ista, cæteraque Dei attributa intercederet discriminis. Quorum certe neutrum Cartesius admiserit; ut qui, præter cogitationem, in Deo complura attributa alia agnoscit. *Dei nomine, ait, intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, summe intelligentem, summe potentem, &*
à qua

à qua tum ego ipse, tum aliud omne, si quid aliud extat,
quodcunque extat, est creatum. Medit. III. p. 21. Et non
multo ante dicit: Illa idea, per quam summum aliquem
Deum aeternum, infinitum, omniscium, omnipotentem, re-
rumque omnium, quæ præter ipsum sunt, creatorem intel-
ligo. &c. p. 18. Horumque attributorum fundamentum
ipsam summam ejus perfectionem statuit. Nos, inqui-
ens, etiam habere possumus ideam claram & distinctam,
substantiæ cogitantis increatæ atque independentis, id est
Dei; modo ne illam adæquate omnia, quæ in Deo sunt, ex-
hibere supponamus, nec quidquam etiam in ea esse finga-
mus, sed ea tantum advertamus, quæ revera in ipsa conti-
nentur, quæque evidenter percipimus ad naturam entis
summe perfecti pertinere: nec certe quisquam talem ide-
am Dei nobis inesse negare potest, nisi qui nullam plane Dei
notitiam in humanis mentibus esse arbitretur. P. I. Prin-
cip. § 54. p. 14. seq. Neque tota Dei quidditas, seu conce-
ptus primus: non solum, quia alias, vel Deus non esset spi-
ritus, nec substantia, nec ens (tanquam quæ in conceptu
Dei primo involvuntur) adeoque nec substantia, aut res
cogitans; vel cogitatio Dei formaliter ipsa Dei & spiritua-
litas, & substantialitas, & entitas foret, ut plane nihil inter
hosce terminos daretur discriminis: verum etiam, quia
sic oporteret ex cogitatione Dei omnia illius attributa
dimanare; quod vero nec ostensum ulli hætenus, & à
doctrina Cartesii, jam modo allata, alienum. Nec deni-
que totus Dei conceptus essentialis proprius: cum quia
locutio hæc, per ante dicta, plane est inepta: tum quia a-
lias cogitationem Dei fundamentum atque radicem o-
mnium ejus attributorum esse oporteret. Atque idem
jam consimili modo & de Angelo, Animaque rationali in
proclivi est demonstrare; uti nemini difficile erit perspectu.
§ 22. Sic

§. 22. Sic ut nec dici proinde possit: singularum mentium totam essentiam ac naturam in sola ac mera cogitatione consistere. Id enim præterquam quod sit de singulis, saltem implicite, jam evictum: certe, si secus se res haberet, mentes istæ non amplius essentialiter differrent, quin esset angelus plane ejusdem cum Deo essentia, seu naturæ, & anima ejusdem cum Deo, atque angelo, ipsaque anima pariter, atque angelus aliquis Deus; quæ omnia & valde absurda sunt, & ab omnium opinione remota.

§. 23. Superest, ut quid imprimis Poiret, qui præ cæteris argumentum hoc paulo fusius persequitur, in favorem suæ sententiæ adfert, ob oculos ponamus, atque examinemus. Ita vero ille L. II. c. I. §. 3. p. 71. *Mentis utriusque, ait, increata, & creata notio magis generalis & evidens dari non potest, quam si tanquam Cogitatio utraq; concipiatur. Hac enim utriusque essentia seu natura est, quod facile de utraque, remotis apparenter adversantibus, demonstrari potest. Et primo quidem, ut de creata mente agatur (nam hac, ut occasio de altera loquendi, precedere debet) certum est, cujuscunque rei essentiam seu naturam consistere in eo, quod ita consequitur in re, ut etiamsi omnia cætera in nihilum redigerentur, id tamen ut nihilominus existens clare concipi posset, & quidem ita concipi, ut eo solo posito sequatur series attributorum rei, modorumque plurimorum, quorum illud ipsum sit immediatum subjectum. Atqui omnibus corporeis remotis, deprehendo in me, sive in mente mea (quod enim in me est, præter corpus, mentem voco) concipio, inquam, in me, etiamsi omnia corpora cum meo, omnia, inquam, quæ in mundo sunt, tollerentur, me tamen cum cogito sufficienter existere, sive, satis esse mihi ad conscientiam existentia mea cogitationem, ita ut*
ad e-

ad evidentem hujus veritatis, sum res, notitiam non opus
sit ad alia quaecunque prater cogitationem attendam, & me
convertam. Video ea posita, involvi, indeque sequi plurima
attributa, quae in nibilo esse non possunt, absque cogitatio-
ne concipi non possunt, ei immediate insunt, quaeque agno-
scunt omnes ad rem spiritualem pertinere. Cogitatio igitur
est mei, sive mentis meae, sive ejus, quod in me est, essen-
tia & natura. Quod si cogitatio à me tollatur, nil plane
mibi superest, unde conscius sim vel percipiam, me non esse
nihil: superest forte brutissimum quid extensum, cujus a-
liquis alius forsitan est conscius; sed quid hoc ad mentem?
Quo negato, negatur directe quicquid est in me, prater
brutissimam molem, negatur omnis perceptio, voluntas, ju-
dicandi, amandi, imo imaginandi & sentiendi fundamen-
tum & actus; id certe est essentia ejus rei, quae prater mo-
lem corpoream in me est. Talem esse cogitationem cui-
bet attendenti est evidentissimum. Quo fit, ut ex hac &
precedenti ratione sit concludendum, in hoc uno consistere
essentiam mentis creatae, ut cogitet: sive illam esse uno ver-
bo cogitationem: quod unum si ei dederit auctor, de cate-
ro nil illa opus habet ad hoc, ut sit, quod est.

§. 24. Nos autem, ut ut latgiamur, ò cogitans, seu
cogitativum esse, praesertim in usitato vocis cogitare si-
gnificatu, notionem, seu conceptum, ac praedicatum men-
tis utriusque increatae & creatae, generale seu commune,
esse; quod huic ratione nobis nota, illi revera quidem,
sed ratione peculiari, nobisque haut satis pervestigabili,
competat: ipsam tamen cogitationem, in abstracto, aut
conceptum mentis utriusque quidditativum, seu essentia-
lem, aut totam ejus essentiam seu substantiam esse, ex ra-
tionibus §. 15. & 20. allatis, negamus. Neque enim statim
communis (de qua hic loqui ille videtur) utriusque essen-
tia

C

tia

tia seu natura est, quod facile de utraque demonstrari potest: sed quod ita utrique est essentialiter commune, ut simul radix atque origo sit attributorum utrique communium; (uti ipse in sequentibus haut obscure indicat.) Ac potest quidem mens creata occasio nobis esse de increata loquendi: sed quæ tamen non ideo istam debet præcedere, quasi hujus essentiam non liceat, nisi ex illius natura scrutari, aut inde cognoscere. Sed orditur ille, pro sententia initio constituta probanda, argumentari. Cujuscunque, inquit (voluit autem, aut certe debuit dicere, Cujusque) rei essentia seu natura consistit in eo, quod ita concipitur seu deprehenditur, (sic enim accipit vocem concipitur, uti ex statim addita subsumptione apparet) in re, ut, etiamsi omnia cætera per hypothesein in nihilum redigantur, eo tamen solo posito, sequatur series attributorum rei, quorum ea immediatum subjectum est. Ubi subsumere quidem auctor, pro ratione intentionis, de ipsa cogitatione debebat, quod ea ita concipiatur, seu deprehendatur in mente, ut ex eadem sequatur series omnium illius attributorum: (quanquam uti, quomodo ille prius probare velit, haut apparet, cum adhuc de sui, seu suæ mentis existentia sibi demonstranda sit sollicitus; ita posterius jam tum §. 15. à nobis negatum fuit.) Enimvero subsumit ille potius de sui existentia, se deprehendere, seu concipere in se, seu sua mente, sublatis licet omnibus corporibus, se tamen, dum cogitat, sufficienter existere, sive satis esse sibi ad conscientiam suæ existentiae cogitationem, ita ut ad evidentem hujus veritatis, se rem esse, notitiam, non opus sit, ut ad alia quæcunque, præter cogitationem, attendat, & se convertat: indeque, post pauca interjecta, concludit; idcirco cogitationem esse sui, seu mentis suæ, seu ejus, quod in se est, præter corpus, essentiam
& na-

& naturam. Quæ quidem, quam inepta, atque nulla sit collectio, cum ratio naturalis unumquemque satis docet, tum ii præsertim norunt, qui ex quatuor terminis in simplici argumento nihil sequi, ex Logica didicerunt. Tametsi vero attributa illa, quæ ad rem spirituales pertinere omnes agnoscunt, in nihilo esse non possint: non tamen ea statim ipsa cogitatione posita involvuntur, aut inde sequuntur, nedum ut absque ipsa concipi haut possint. Ecquis enim diceret, ex. gr. immutabilitatem, aut perennitatem mentis, aut involvi in ipso cogitationis conceptu, aut ad cogitationem ita sequi, ut propterea quod mens cogitet, etiam eandem immutabilem, ac perennem esse oporteat. Aut quis negabit, sese & immutabilitatem mentis, & perennitatem concipere etiam absque illius cogitatione concepta, aut præsupposita posse? Id vero sibi Poiret, non luminis defectui, ferat acceptum, quod, si cogitatio ab ipso tollatur, nil plane ei supersit, unde conscius sit, vel percipiat, se non esse nihil. Quippe qui præter omnem rem sui, suæque mentis pariter atque corporis existentiam, saltem hujus demonstrandæ gratia, negat; cum sane istius, antequam negaret, ex sensu externo pariter, ac interno, æque fuerit conscius, (idcirco nec ulla ejus demonstratione opus habens) atque nunc, post eam negatam, se cogitare intra sese percipit. Unde nec diffitetur, aliquem alium, sensu se suo ipsummet non privantem, forsan sui corporis quod brutissimum extensum vocat, esse conscius; puta quoniam ipse à sese haut poterat impetrare, quo minus sui corporis esset conscius, satisque perceptum haberet, se corpore constantem utique existere. Et si vel maxime nec immerito sui existentiam negasset, eandemque sibi ex deprehensa sua cogitatione demonstranda demum restituisset: nondum tamen inde,

cogitationem, ipsam mentis essentiam & naturam esse, evinceret. Nec enim statim id ejus rei, quæ præter molem corpoream in nobis est, essentia est, quo negato, negatur consequenter, quicquid in nobis præter molem corpoream est. Nam & quocumque attributo mentis essentiali negato, negantur consequenter simul & cætera; nec tamen quodvis mentis attributum illico ipsius essentia est. Quia id saltem mentis essentia est (juxta acceptio- nem termini hic quidem intentam) quo posito, ponun- tur consequenter & cætera mentis attributa. Ut ut vero negata cogitatione negetur forsan & perceptio, atque vo- luntas, nec non judicium, & imaginatio, vel etiam sensus, atque amor: non tamen illico negatur & vis percipiendi, volendi, judicandi, imaginandi, sentiendi, amandi, nedum reliqua mentis attributa essentialia; nisi quod de facto eadem præterque rationem auctori huic negentur. Un- de sane non in hoc uno consistit essentia mentis creatæ, quod cogitet: quin potius in eo, quod sit substantia im- materialis, atque simplex, & quæ reliqua ejus sunt prædi- cata, ex ipsa immaterialitate ac simplicitate ordine pro- manantia; atque adeo ejusmodi, ad quam vel semiplene exprimendam multis ac pene innumeris verbis sit opus. Sic ut proinde ea esse non potuisset id quod est, nisi ei plura ejus auctor, quam cogitationem, & ad minimum, ultra cogitationem, ipsam substantiam cogitantem, seu quæ possit cogitare, dedisset.

§. 25. Itaque patuit, quam belle (si diis placet) Poi- ret mentis creatæ essentiam in sola cogitatione consi- flere probarit. Nunc quomodo id de mente etiam in- creata ostendere laboreat, erit adhuc videndum. *Id quod est in Deo omnia, ait, procul dubio est essentia Dei. Cogita- tio igitur est essentia Dei. Ad hanc, quæcunque in Deo sunt, redu-*

reducuntur: nulla enim res in Deo est, cuius Deus non sit
consciens per illam ipsam rem: alioqui darentur in Deo res
perceptione destituta, quas Deus cogitatione ab illis diversa
perciperet, res bruta igitur, & incogitantes: quod blasphe-
mum est, & non Deo, sed imperfecto idolo dignus conceptus.
Ex illa etiam cetera fluunt attributa omnia. Posita cogi-
tatione perfectissima, sequitur eam seipsam nosse, Intelli-
gentia; seipsam simul possidere, Æternitas; seipsa subsiste-
re, sive seipsam sufficere sibi, Sufficientia, sive Independentia;
sibi ipsi acquiescere, Felicitas; seipsam probare, Justitia,
Sanctitas; non frustra aliquid velle, seu cogitare, Potentia;
& sic de ceteris omnibus. Nega de Deo, quaecunque voles,
modo unam cogitationem divinam sive perfectissimam con-
cedas, manent omnia, superest omnium Dei attributorum
sufficientissimum fundamentum: at sine illa non potest ul-
lum concipi Dei attributum, neque ipse Deus. Possum
concupere, Deum potuisse esse non creatorem, non redempto-
rem, & similia: possum ita concipere unum Dei attributum
sine alio attributo, ut in ejus conceptu non insit formaliter
conceptus alterius: at impossibile est, ut Deum, qui sit si-
ne cogitatione, cogitem; impossibile est, ut ejus aliquod at-
tributum concipiam, in cujus conceptu non sit formaliter
cogitatio, cujus basis & fundamentum, ratio positiva, & si
ita loqui liceat, subjectum immediatum non sit ipsa cogita-
tio perfectissima. Nec video, quid ultra requiri possit, ut
concludatur, naturam & essentiam Dei esse ipsam cogitatio-
nem. L. II. c. 5. §. 5. p. 122.

§. 26. Ibimus nos hic rursus per singula, & quan-
tum quidque roboris ad probandum habeat, paucis ape-
riemus. In primo nempe argumento, quod enthyme-
maticum est, major præmissa, pro diversa utriusque ex-
tremi acceptione, triplicem sensum habere potest: pri-

num, id quod est in Deo omnia qua rem, procul dubio est essentia Dei qua rem, hoc est, id quod realiter idem est cum omni eo, quod in Deo est, procul dubio est realiter idem cum Dei essentia: deinde, id quod est in Deo formaliter omnia, procul dubio est tota Dei essentia, seu substantia: denique, id quod est in Deo virtualiter omnia, hoc est, ita ut cætera Dei attributa, juxta nostrum concipiendi modum inde fluant, procul dubio est ipsa Dei essentia, seu conceptus primus. Jam si ea primo sensu capiatur; conceditur quidem, cum ipsa, inde illata conclusio (scilicet, cogitationem divinam esse realiter idem cum Dei essentia;) sed quæ sic à scopo abludit. Si vero secundo; tum negatur subintellecta subsumptio; nec enim cogitatio formaliter vel independentia Dei, vel infinitas, vel immutabilitas, vel æternitas, vel immensitas, vel omnipotentia, vel justitia, vel personalitas est, nedum omnia simul. Siqve tertio; negatur rursus subsumptio, per §. in primis 21. Minime vero apparet, quomodo ad cogitationem, quæcunque in Deo sunt, reducantur, aut reduci possint. Vel enim reducuntur ita, ut sint formaliter idem cum cogitatione; vel ut ex eadem, ceu sua radice, juxta nostrum intelligendi modum fluant: quorum vero utrumque jam modo fuit negatum. Ac certum quidem est, nullam rem, seu potius perfectionem, attributumve in Deo esse, cujus ipse non sit conscius: non tamen is cujusque suæ perfectionis per eam ipsam formaliter, sed per infinitam sui intellectus perspicaciam est conscius. Neque opus est, ut illas perfectiones in Deo, aut perceptione gaudere, aut eadem destitui dicamus; quippe cum perceptio formaliter ac immediate solius intellectus, fundamentaliter ac immediate ipsius subjecti, intellectu pollentis, sit. Nec, si perceptio iis non competit,

petit, propterea Deus cogitatione ab illis realiter diversa percipit; sed percipit saltem cogitatione formaliter diversa; quod nihil absurdi est. Nec idcirco, quod perfectiones in Deo (tantum intellectu excepto) nullam sibi formaliter vendicant perceptionem, statim brutæ ac incogitantes dicendæ: solum enim illud brutum & incogitans dici meretur, quod res atque subjectum peculiare existens, omni ratione, hujusdemque administra cogitatione, destituitur, non quod saltem rei atque subjecti attributum existens, ipsi formaliter perceptionem haut largitur. Tum autem nullibi Poirer, quantum mihi quidem constat, adeo expressit, quid per cogitationem divinam præcise intelligat; uti nec, quid per perfectissimam. Ponamus autem, illum per cogitationem divinam intelligere ipsam Dei intellectionem, ceu videtur; hancque perfectissimam dicere, pro usu vocis recepto, quatenus & ad quævis intelligibilia sese extendit, & omne imperfectione procul habitata, nullo destituitur eorum, quæ ad rationem summæ ac absolutissimæ scientiæ sequi, aut pertinere ullo pacto intelliguntur. Quomodo tamen manifestum sit, posita cogitatione, seu intellectione perfectissima, sequi, eadem Deum gaudentem seipsum, suamque adeo & intellectionem illam perfectissimam nosse: tamen haut apparet, quæ & sequatur, cogitationem illam, aut seipsam simul possidere, aut seipsa subsistere, sive seipsam sufficere sibi, aut sibi ipsi acquiescere, aut seipsam probare, aut non frustra aliquid velle, seu cogitare; nec enim horum ullum ad rationem summæ ac absolutissimæ scientiæ requiri, aut pertinere intelligitur. Ut taceam, quod hæc prædicata terminorum, iis ab auctore subjunctorum, formalem rationem, vel plane non attingant, vel tamen haut satis recte exprimant; & quod termini hic etiam, ceu æquipollentes,

tes,

tes, conjungantur, qui tamen toto, quod dicitur, coelo differunt. Unde quemadmodum negatis de Deo cæteris attributis, modoque una cogitatione perfectissima concessa, minime manent adhuc omnia, neque superest omnium Dei attributorum sufficiens fundamentum: ita possunt sane etiam absque dicta cogitatione, tum quævis Dei attributa alia, tum ipse Deus, aut secundum conceptum suum essentialem, aut quemcunque extraessentialem, adhuc concipi. Et quanquam impossibile sit, ut Deum, qui sit sine cogitatione, (tanquam ipsi necessario competente) cogitem: tamen possibile est, ut Deum, sine ejus cogitatione concepta, secundum attributum aliud cogitem; multoque magis, ut ejus aliquod attributum concipiam, in cujus conceptu non sit formaliter cogitatio, tanquam quæ ipsa distincto à cæteris gaudet conceptu. Tantumque abest, ut cogitatio divina omnium divinorum attributorum basis, & fundamentum, atque ratio positiva sit, ut ne quidem de uno eorum id fuerit ostensum. Adeo ut plane inepti hunc, ac bruti esse ingenii oporteat, qui non videat, maxime aliquid ultra requiri, ut naturam & essentiam Dei ipsam cogitationem esse, concludatur.

SOLI DEO GLORIA!



Coll. diss. A. 27, misc. 34